
COMPENDIUM
Variarum Benedictionum
Ex Rituali Romano
DEPROMPTUM

Cui acceſsit
Itinerarium Clericorum
Ac alia uſui frequentiori
neceſsaria,
denuo.
IMPRESSUM.


LUBLINI
Typîs S. R. M. Coll: S. J.
Annô Domini 1767.





REIMPRIMATUR

Cum addimento de modo adjuvandi damnatos ad ſupplicia tradito à P. Joanne Polanco S.J. 20. Aug. 1767.

JOANNES LENCZOWSKI, Can. Cath. Chełm. Dec. Lublin. ac Judex Surog. mpr.



BENEDICTIO SALIS.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini,
℞. Qui fecit Cælum & terram,
℣. Dominus vobiſcum,
℞. Et cum Spiritu Tuo.

Deinde abſolutè incipit Exorcizmum Salis.

EXorcizo te Creatura Salis, per DEUM † vivum, per DEUM † verum, per DEUM † Sanctum, per DEUM, qui per Eliſeum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ, ut efficiaris Sal exorcizatum in ſalutem credentium: & ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis: &

effugiat, atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

O R E M U S.

IMmensam clementiam tuam, Omnipotens æternæ D E U S, humiliter imploramus, ut hanc Creaturam Salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene† dicere, & sancti † ficare Tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis: ut quidquid ex eo tactũ, vel respersum fuerit, careat omni immunditia omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum, qui te-

cum

cum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Exorcizmus Aquæ dicatur sine Oremus.

EXorcizo te Creatura Aquæ in Nomine DEI † Patris Omnipotentis & in Nominé JESU † Christi, Filii ejus Domini nostri, in virtute Sancti † Spiritûs, ut fias Aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis suis Apostaticis: per virtutem ejusdem Domini nostri JESU Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

DEUS, qui ad salutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum substan-

tia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde: ut creatura Tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos Divinæ gratiæ sumat effectum: ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus Aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem Sancti Tui Nominis expetita ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum &c.

Hic mittatur Sal in Aquam, in modum Crucis, dicendo semel:

COmmiſtio Salis & Aquæ pariter, fiat in Nomine Pa✝tris & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ Sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum,
℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS inviƈtæ virtutis auƈtor, inſuperabilis Imperii Rex, ac ſemper magnificus triumphator: qui adverſæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas, qui hoſtiles nequitias potenter expugnas, te Domine trementes & ſupplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam Salis & Aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis Tuæ rore ſanctifices: ut ubicunq; fuerit aſperſa per invocationem San-

ɛti Tui Nominis; omnis infeſtatio immundi ſpiritus abigatur, terrorq; venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia Sancti Spiritûs nobis miſericordiam tuam poſcentibus, ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum Jeſũ Chriſtũ &c. ℟. Amen.

ANTIPHONA.

ASperges me Domine Hyſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam Tuam &c. Gloria Patri &c. Aſperges me *repetitur.*

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam Tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

OREMUS.

EXaudi nos Domine Sanctë Pater Omnipotens æterne Deus, & mittere digneris Sanctum

ctum Angelum Tuum de Cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atq, defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dñum nostrū ℟. Amen.

Oratio propria post aspersionem aquæ super populum diebus Dominicis expeditam.

PRæsta nobis quæsumus Domine, hac aqua aspersis, sanitatem corporis, integritatem mentis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

BENEDICTIO AQUÆ Sancti IGNATII.

℣. Adjutorium nostrum &c.

BEnedic † Domine Creaturam istam Aquæ, ut sit remedium generi humano, & præsta pristinam misericordiam Tuam per

JESU Chriſti Sangvinem, ac interceſſionem S. IGNATII, & omnium Sanctorum, ut quicunq; ex ea ſumpſerint, liberationem ab omnibus malis, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c ℟. Amen.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et oſtendit illi Regnum DEI.

OREMUS.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, quas in Beati IGNATII Confeſſoris tui commemoratione deferimus, ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui Tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Am̄.

OREMUS.

DEUS, qui ad majorem Nominis Tui gloriam propagan

gan

gandam novo per B. IGNATIUM subsidio militantem Ecclesiam roborasti, concede, ut ejus auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in Cælis. Per Dominum nostrum &c.

Intingantur Reliquiæ S. IGNATII, aut Metallum, & dicatur:

CONfer benignissime Domine JESU per contactum Imaginis (vel Numismatis) Sancti tui IGNATII, Aquæ huic virtutem sanandi corpus & animam, pellendique omnia mala ab hoc loco, ejusque incolis, In Nomine Patris †, & Filii †, & Spiritûs † Sancti, ℟. Amen.

Aqua hæc hausta conducit plurimùm contra omnis generis morbos, eáq; aspersa loca spectris & veneficiis obnoxia redduntur immunia, ut multa docet experientia.

IN

IN FESTO S. STEPHANI
BENEDICTIO AVENÆ.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Domine exaudi orationẽ meã,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

BEne✝dic Domine creaturam iſtam Avenæ: ut ſit remediũ ſalutare equis, cæteriſque animalibus, & præſta per invocationem Sancti Nominis Tui, ut quæcunq; ex ea guſtaverint, corporis ſanitatem percipiant. Per Chriſtum Dominum &c.

Creator & Conſervator generis humani, Dator gratiæ Spiritualis, Largitor Salutis æternæ, Tu Domine mitte Spiritum Tuum ſuper hanc creaturam Avenæ, ut armata virtute cæleſtis

diſpen-

difpenfationis, equis, cæterisque animalibus ex ea guftantibꝰ proficiat ad fanitatem. Per Dominum noftrum &c Et benedictio DEI Patris † Omnipotentis, & Filii †, & Spiritus † Sancti, defcendat fuper hanc creaturam Avenæ. ℟. Amen.

IN FESTO S. JOANNIS. EVANGELISTÆ.

Benedictio Vini & alterius potus.

℣. Adjutorium noftrum &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram,
℣. Dominus vobifcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

Evangelium: In principio erat Verbum &c.

OREMUS.

PEr iftos fermones Sancti Evangelii, per merita S. JOANNIS Apoftoli & Evangeliftæ bene†dicere & confe†crare digene-

greris Domine Deus dextrâ tuâ hunc Calicem vini & cujuslibet potûs, & præsta, ut omnes in te credentes, & de Calice isto bibentes, benedicantur, & protegantur. Et sicut Beatus Joannes de Calice bibens venenum, illæsus omnino permansit, ita isti hodie in amore tuo & Beati Joannis de Calice bibentes, meritis ipsius ab omni ægritudine veneni, & noxiis quibusvis absolvantur, & corpore ac anima se offerentes, ab omni culpa liberentur. Per Christum Dominũ nostrum. ℟. Amen.

Bene✝dic Domine hanc creaturam Potûs, ut sit remediũ salutare omnibus, & præsta per invocationẽ Sancti Nominis Tui, ut quicunq; ex eo gustaverint, tam animæ, quàm corporis sanitatẽ te donante percipiant. Per Christũ Dñũ nostrũ. ℟. Amen.

Et Benedictio DEI Omnipotentis, Patris†, & Filii†, & Spiritûs † Sancti, descendat super hanc creaturam vini & cujuslibet potûs, & maneat semper.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Benedictio Auri, Myrrhæ, et Thuris.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Domine exaudi orationẽ meã,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

BEne†dico te creatura Auri, Thuris, & Myrrhæ: per DEUM Patrem Omnipotentem: per JESUM Christum Filium ejus unicum, & Spiritum Paraclytum: per omnia Sancta ac ineffabilia Nomina DEI, & per Mysterium hujus Sanctæ diei: quâ eadem munera in titulum Re-

Regalem, & magnificentiam Sacerdotalem, ac sepulturam Dominicam tres Magi obtulerunt. Benedico te, ut has virtutes in te suscipias, & in te semper teneas, ut quicunq; te creaturam Auri, Thuris, & Myrrhæ, ob reverentiam *Divinæ* Majestatis, & ob corporis ac animæ suæ salutem circa se gestaverint, aut quocunq; recto modo habuerint, Divina eos protegente potentia ab omni periculo corporis & animæ sint tuti, ubiq; mortem subitaneam morbosq; omnes effugiant: hostiumq; visibilium & invisibilium insidias evadant. & omne desiderium eorum prosperetur: & absolvat eos Dominus ab omnibus tristitiis, venenis, & cunctis adversitatibus. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum &c.

℣. Dominus vobiscum, ℟.

℟. Et cum Spiritu Tuo.
℣. Benedicamus Domino,
℟. DEO gratias.

Et Benedictio DEI Omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ Sancti, descendat super has creaturas, & maneat semper.
℟. Amen.

Postremò aquâ benedictâ aspergat.

IN FESTO S. AGATHÆ.

Benedictio Panis, & Aquæ, contra Ignis periculum.

Sacerdos celebrans Missam in Festo, in Canone majori antequam proferat verba illa.

Per quem hæc omnia Domine semper bona creas. *Conversus ad Populum panem & aquam tenentem, dicit* Psalmum 66.

DEUS misereatur nostri & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Ut

Ut cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur Tibi Populi Deus: confiteantur Tibi Populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur Tibi populi DEUS, confiteantur Tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuū.

Benedicat nos DEUS, DEUS noſter, benedicat nos DEUS, & metuant eum omnes fines terræ

Gloria Patri, &c.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter.

Et ne nos inducas &c.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℟. Qui fecit Cælum & terram.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Ex

℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
℣. Ora pro nobis B. AGATHA,
℟. Ut digni efficiamur, &c.
℣. Domine exaudi orationẽ meã,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

DOmine JESU Christe Fili DEI Vivi, qui es Panis vivus, qui de Cælo descendisti, bene✝dic, & sancti✝fica hos Panes & Aquam in honorem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris, ut ubicunq; contra ignem comburentem missa vel posita fuerint, illico ignis evanescat, & penitùs extingvatur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre &c.

Benedictio DEI Omnipotentis Patris✝, & Filii✝, & Spiritûs✝ Sancti, per intercessionem

Beatæ

Beatæ Agathæ Virginis & Mar-
tyris tuæ descendat super hæ
creaturas, & maneat semper, A

Postea aspergit aquâ benedictâ & reversus ad Altare, prosequitu in Canone, ubi desierat. Per quem hæc omnia Domine semper bon creas &c. *usque ad finem Missæ. Hoc pane vescantur eodem die ini tio comestionis in domo constitut. Aquam verò servent, ut tempore n cessitatis in ignem injiciatur.*

BENEDICTIONES ESCULENTORUM PRÆSERTIM IN PASCHA.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo,

Benedictio Agni Paschalis.

DEUS, qui per famulum Tu Moysen in liberatione popu li Tui de Ægypto agnum occ

di juſſiſti in ſimilitudinem Domini noſtri JESU Chriſti, & utroſq; poſtes domorũ de ſangvine hujus Agni perungi præcepiſti: ita bene†dicere, & ſancti†ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli Tui ad laudem Tuam ſumere deſideramus: per reſurrectionem Domini noſtri JESU Chriſti, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

BENEDICTIO OVORUM.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Domine exaudi orationẽ meã,
. Et clamor meus ad te veniat.
. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

SUbveniat, quæſumus Domine, tuæ benedictionis gratia huic

ovorum creaturæ, ut cibus salubris fiat tuis fidelibus in tuarum gratiarum actione sumentibus ob Resurrectionem Domini nostri JESU Christi. qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO PANIS.

℣. Adjutorium nostrum, &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣ Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

DOmine Sancte Pater, Omnipotens æterne Deus, benedicere † digneris hunc panem tuá Sancta Spirituali benedictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum JESUM

Christum Filium Tuum Panem Vivum, qui de Cælo descendit, & dat vitam & salutem mundo, & tecum vivit & regnat, &c.

Aspergat aquá benedictâ.

BENEDICTIO LACTICINIORUM.

DIgnare Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne DEUS bene✠dicere, & Sancti✠ficare hanc creaturam Butyri, Casei, lactis, &c. quæ ex adipe animaliũ educere dignatus es, ut quicunque ex populis tuis fidelibus ex ea comederint, vel gustaverint, omni bene✠dictione cælesti & gratiá salutari repleantur in bonis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et Benedictio, DEI Omnipotentis, Pa✠tris, & Filii, ✠ & Spiri✠tûs Sancti, descendat super

 hanc

hanc creaturam N. & N. & per virtutē Sanctæ Crucis, & mortis JESU Christi, Domini nostri, fugiat ab eis omnis infestatio sathanæ, & omne phantasma evanescat, in Nomine Patris, † & Filii †, & Spiritûs † Sancti, Am̄.

BENEDICTIO Ad QUODCUNQUE COMESTIBILE Et POTABILE.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Dōmine exaudi orationē meā,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

BEne†dic Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano, & præsta per invocationem Tui Sanctissimi Nominis, ut quicunq; ex ea sumpserint, vel gustaverint, cor-

poris ſanitatem, & animæ tutelam accipiant. Per Dominum noſtrum, &c. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

BENEDICTIO NOVORUM FRUCTUUM.

BEne✝dic Domine hunc fructũ N. & præſta, ut qui ex eo in Tuo Sancto Nomine veſcetur; corporis & animæ ſalute potiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Et mox aſpergat aquâ benedicta.

BENEDICTIO DOMUS NOVÆ.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.
℞. Qui fecit Cælum & terram.

Antiph. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.

PSALMUS.

NIſi Dominus ædificaverit do-

mnum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filii excuſſorum.

Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta.

Gloria Patri, & Filio, &c.

P S A L M U S.

BEati omnes, qui timent Dominũ: qui ambulãt in viis ejus.

Labores manum tuarum, quia man-

manducabis, beatus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis ambundans in lateribus domus tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivarum: in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſrael.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum.

Sicut ungventum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.

Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus ſicut ros Hermon, qui de-

deſcendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam uſque in ſæculum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

His finitis & Antiphonâ repetitâ, dicitur:

℣. Domine exaudi orationẽ meã,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

TE Deum Patrem Omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo, & pro ejus habitatoribus, ac rebus, ut eam bene†dicere & ſancti†ficare, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis Domine de rore Cæli abundantiam, & de pingvedine terræ vitæ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas: ad introitum ergo noſtrum bene†-

dicere & ſanctificare digneris hanc Domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Jacob, & intra parietes domûs iſtius, Angeli tuæ lucis inhabitent, eamq; & ejus habitatores cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

OREMUS.

Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle: Angeli Tui Sancti habitent in ea, qui illos in pace cuſtodiant: & benedictio Tua Sancta ſit ſuper eos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Aſpergat partes & angulos domûs aquâ benedictâ dicens:

Per Sacram hujus aquæ aſperſionem largiatur Dominus huic Domui, & in ea contentis, ſuam benedictionem, & ſecuram manſionem:

OREMUS.

DEfende, quæsumus Domine, domum istam, habitantesque in ea a majoribus usq; ad minimos, à conflagratione ignis, à tempestate, ruina, peste, infirmitate, & ab omnibus periculis & insultibus inimici: ut secura in te confidentium habitatio effici mereatur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Benedictio DEI Omnipotentis Patris,& Filii✝, & Spiritûs ✝Sancti, descendat in hunc locum, & maneat semper, Amen.

BENEDICTIO DOMORUM

Quovis tempore facienda.

Ingrediens Domum, dicat:

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde loca aspergendo, dicat:

Asperges me Domine hyssopo, & mun-

mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Miſerere mei Deus, ſecundũ magn. miſericordiam tuã, &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Et repetitur Antiphona.

℣. Domine exaudi orationẽ meã,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

EXaudi nos Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum Tuum de Cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen

Deinde aſpergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO NOVÆ NAVIS

℣. Adjutorium noſtrum &c. ℟.

℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & bene✝dic navim iſtam dexterá tuá Sanctâ, & omnes, qui in ea vehentur, ſicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulantem in diluvio: porrige eis Domine dexteram tuam, ſicut porrexiſti Beato Petro ambulanti ſuper mare: & mitte Sanctum Angelum Tuum de Cæiis, qui liberet & cuſtodiat eam ſemper a periculis univerſis, cum omnibus, quæ in ea erunt: & famulos Tuos repulſis adverſitatibus, portu ſemper optabili, curſuque tranquillo tuearis, tranſactiſq; ac rectè perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio

gaudio revocare digneris. Qui vivis & regnas, &c.

Aspergat navim aquâ benedictâ.

BENEDICTIO COMMUNIS SUPER FRUGES Et VINEAS.

℣. Adjutorium nostrum, &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Domine exaudi orationẽ meã,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

ORamus pietatem Tuã omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ, quas aëris & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas: & fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoq; populo tuo de Tuis muneribus Tibi semper gratias agere; ut à fertilitate terræ esurien-

rientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent Nomen gloriæ Tuæ. Per Christum Dominum nostrũ.

℟. Amen.

BENEDICTIO IN PESTE ANIMALIUM.

Primò animalia aspergantur aquâ benedicta, postea dicatur:

℣. Adjutorium nostrum, &c.

℟. Qui fecit Cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

Misericordiam Tuam Domine supplices exoramus, ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, in Nomine Tuo atque Tuæ bene✠dictionis virtute sanentur. Extingvatur in eis omnis diabolica potestas, & ne ulterius ægrotent, tu eis Domine sis

ne ſis remedium ſanitatis, & defenſio vitæ. Per Dominum noſtrum Jesũ Chriſtũ &c. ℟. Amen.

BENEDICTIO ITER INGREDIENTIUM.

Sacerdos ſuper genuflexus dicat totum itinerarium; in verſibus autem & reſponſoriis ac orationibus voces primæ perſonæ proferat in tertia perſona ſingulari, ſi unũ, aut plurali, ſi plures benedicit. Qui modus ſervandus cum iis, qui peregrinantur ad loca Sancta: in fine itinerarii adjungatur Oratio ſequens.

EXaudi Domine preces noſtras, & iter famulorum tuorum propitius comitare, atq; miſericordiam tuam, ſicut ubique es, ita ubique largire, quatenus á cunctis adverſitatibus tuâ opitulatione defenſi, gratiarum tibi referant actionem. Per Chriſtũ Dominum noſtrum, Amen. Pax

Pax & benedictio DEI Omnipotentis, Patris†, & Filii†, & Spiritus † Sancti descendat super vos, & maneat semper.
℞. Amen.

BENEDICTIO COMMUNIS.
℣. Adjutorium nostrum, &c.
℞. Qui fecit Cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum,
℞. Et cum Spiritu Tuo.
OREMUS.

CReator & conservator humani generis, dator gratiæ Spiritualis, Largitor æternæ salutis, tu Domine mitte Spiritum Sanctum Tuum cum superna benedictione † super hanc creaturam N. ut armata virtute cælestis defensionis, illi, qui eâ fruetur, proficiat ad corporis & animæ salutem ac tutelam.

Per Dominum nostrum JESUM Christum &c. ℟. Amen.

Aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO TUMBÆ.

℣. Adjutorium nostrum, &c.

OREMUS.

DEUS, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, hanc tumbam bene✝dicere dignare, eique Angelum Tuum Sanctum deputa custodem, & animam ejus, cujus corpus in ea ponetur, ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis Tuis sine fine lætetur. Per Christum Dominum nostrum, &c.

BENEDICTIO IMAGINUM.

℣. Adjutorium nostrum, &c.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus,

Ma-

Majeſtatem Tuam ſuppliciter exoramus, ut iconem hanc, in qua glorioſiſſima Imago, vel Imagines Filii Tui Domini noſtri, vel glorioſæ Virginis MARIÆ Matris ejus, vel Sancti N. vel Sanctorum N. N. depicta eſt, (vel ſunt) bene†dicere & ſanctificare digneris, ante quã, quicunquè ob devotionem ad te ipſum adorandũ ſe devotè inclinaverint, ſalutẽ mentis & corporis conſequantur, & quidquid juſtè petierint, obtinere mereantur. Per eundem Chriſtum, &c.

BENEDICTIO Novæ CRUCIS ERIGENDÆ.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

OREMUS.

ROgamus Te Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, ut digneris bene†dicere hoc ſignum Crucis, ut ſit reme-

dium ſalutare generi humano; ſit ſoliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, ſit ſolamen & protectio, ac tutela contra ſæva jacula inimicorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Alia oratio ad idem.

BEne†dic Domine hanc Crucē Tuam, per quam eripuiſti mundum à dæmonum poteſtate, & ſuperàſti Paſſione Tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi Parentis per ligni vetiti ſumptionem.

Sanctificetur hoc ſignum Crucis in Nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs† Sancti, ut orantes, inclinanteſquè ſe propter Dominum ante iſtam Crucē, inveniant corporis & animæ ſanitatem Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem, devotè adorat, & osculatur & idē faciunt, quicunque voluerint.

MODUS BENEDICENDI APES.

ANtequam accedat ad locum, ubi consistunt Apes, Sacerdos elicito actu contritionis, ac tandem veniens ad locum, dicat. Veni Sancte Spiritus &c. cum oratione sua. *Tandem accepta aquâ benedictâ, aspergat locum totum, ubi apes consistunt, & aspergendo dicat. Psalmum* Miserere mei. *Secundum.* Ad Dominum clamavi. *Tertium.* Ad te levavi oculos meos. *Et intra hos Psalmos dictos aspergat sal benedictum totum locum, ubi consistunt apes tandem genuflexus dicat.* Litanias de Omnibꝰ Sāctis, *cum Oratione:*

DEUS cui proprium, &c.

℣. Adjutorium nostrum, &c.

℟. Qui fecit Cælum & terram,

OERMUS.

CReator omnium Deus qui ſemina ſanctificare, & multiplicare facis & in uſus noſtros miſericorditer concedis pervenire (intercedente B. Joanne Baptiſta) ſupplicationes noſtras placatus intende, ut has apes benedicere & ſanctificare Tua benignitate digneris, ut copioſius mittant effectus ſuos, quatenus ad Eccleſiæ tuam, ſanctorumque Altarium Tuorum decorem & ornatum, atque etiam ad uſus noſtros proveniant. Per Christum Dominum noſtrum. ℟. Am.

OREMUS

DEUS qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus beneficium ſubrogaſti, quique Tuæ ineffabili miſericordiæ hoc ad uſus noſtos ipſarum apum fructus & opera convertere decuiſti,

cuisti, Majestatem Tuam suppliciter exoramus, ut bene†dicere digneris has apes, & ad humani generis proventum multiplicare, custodire, & educare, ut quisque, qui Majestati Tuæ, & imensæ largitati Tuæ, ad horum animalium educationē ministerialitate cooperando, solá spe Tuæ benignitatis innititur, & sui laboris mereatur uberes fructus accipere, & cælesti benedictione repleri. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Aspergatur iterum locus, & dicat Evangengelium S. Joannis: In principio, &c. *quô finitò dicat:* Per Evangelica dicta, deleantur nostra delicta, & destruantur, atque evertantur omnia maleficia, si quæ sunt in hoc loco, & descendat benedictio Dei Patris Omnipotentis†, & Filii†, & Spiritûs† Sancti. ℟. Amen. BE-

BENEDICTIO PISCINÆ ET PISCIUM.

℣. Adjutorium nostrum, &c.

OREMUS.

OMnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, & Pater misericordiarum, qui pisces in fluminibus maris crescere & multiplicare dignatus es: præsta quæsumus, ut hos parvos pisciculos in istam piscinam impositos crescere & multiplicare Tuâ gratiâ digneris. Per Dominum nostrũ Jesũ Christũ, &c.

Crescite & multiplicamini vos parvi pisciculi, & replete istam piscinam in Nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs✝ Sancti. Dominus det vobis suam benedictionem. ℟. Amen.

OREMUS.

DEUS Omnipotens, qui hanc creaturam piscium ex aqua-

rum fluctibus in mundi principio prodire jussisti, quam inter cæteras creaturas Tuo ore benedicto dignatus es benedicere, & de qua post assumptam humani generis formam Unigenitus Filius Tuus coram Discipulis suis assa igni comedere voluit, ad insinuandos nobis suæ passionis cruciatus, bene✠dic etiam hos cibos piscium & præsta nobis ut qui de passione Dñi nostri JEsu Christi & ardore tribulationis sumus excocti, de ineffabili ejus resurrectione refrigerati, pane cælesti lætemur. Per eundem Dominum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO SALIS ET AQUÆ CONTRA VERMES, Et AVES NOCIVAS.

℣. Adjutorium nostrum. &c.

℟. Qui fecit Cælum & terram.

ORE-

OREMUS.

DOmine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, mitte Spiritum Tuum Sanctũ cum Angelis & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, & cum eis omnes Sanctos electos tuos, ut defendant segetes nostras à vermibus, & magnificetur Nomen Tuum in omni loco. Per Christum Dominum nostrum.
℞. Amen.

OREMUS.

BEnedic Domine, hanc creaturam Salis & Aquæ, ut fugiant vermes & volucres à nostris segetibus, propter Nomen Domini nostri Jesu Christi, quòd invocatum est in ipsa creatura messis, ut fiat alimentum omnibus, qui vivunt ex ea. Per eundem Dominum nostrum, &c.

Deinde benedicuntur segetes ad-

dendo sequentes Orationes.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

PReces nostras quæsumus Domine clementer exaudi, ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, & hanc avium, seu murium, aut locustarum, vel aliorum animalium persecutionem patimur, pro Tui Nominis gloria ab ea misericorditer liberemur, ut procul à Tua potentia expulsi, nulli noceant, & hos campos, agros, horrea, granaria &c. vel vineas, aut aquas in trãquillitate, & quiete dimittant, quatenus ex eis surgentia, & orta, Tuæ Majestati deserviant, & nostræ necessitati subveniant. Per Christũ Domũm nostrũ, &c.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, omnium bonorum remune-

rator, & peccatorum maximus miſerator; in cujus nomine omnium genua flectuntur, cæleſtia, terreſtria, & infernalia, tuâ potentiâ nobis peccatoribꝰ concede, ut quod de Tua miſericordia confiſi agimus, per Tuam gratiam efficacē ejus conſequamur effectum, quatenus hos peſtiferos vermes, aves, vel locuſtas, vel alia animalia, per nos ſervos Tuos, maledicendo maledicas, ſegregando ſegreges, exterminando extermines, ut per Tuam clementiam ab hac peſte liberati, gratiarum actiones Majeſtati Tuæ liberè referamus. Per Dominum noſtrum, &c. ℟. A.

Exorcizo vos † peſtiferos vermes, vel mures, glires, aves, ſeu locuſtas, ſeu animalia per Deum Patrem Omnipotentem †, per JEſum Chriſtum Dominum noſtrū;

per

per Spiritum † Sanctum ab utroque procedentem; ut contestim recedatis ab his campis, vel vineis, hortis, vel horreis, vel granariis, vel aquis, nec amplius in eis habitetis, ſed ad loca transeatis, in quibus nemini nocere poſſitis. Pro parte Omnipotentis *Dei*, totius curiæ Cæleſtis, & ex parte Eccleſiæ Sanctæ Dei vos maledicentis; quocunque ieritis, ſitis maledicti, deficientes quotidie, & decreſcentes, ita, ut reliquiæ de vobis in nullo inveniantur, niſi in neceſſariis ad ſalutem, & uſum humanum. Quod præſtare dignetur, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟ Amen.

Aſpergatur aër & terra.

BENEDICTIO Olei Simplicis.
℣. Adjutorium noſtrum &c.

℟. Qui ſecit Cœlum & terram,

EXORCIZMUS.

EXorcizo te creaturam Olei, per Deum Patrem † Omnipotentem, qui ſecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt. Omnis virtus adverſarii, omnis exercitꝰ diaboli, & omnis incurſus, omne phantaſma ſathanæ eradicare, & effugare ab hac creatura Olei, ut fiat, omnibus, qui eo uſuri ſunt, ſalus mẽtis & corporis, in Nomine DEI Patris † Omnipotentis, & JESU † Chriſti, Filii ejus & Spiritûs Sancti † Paracleti, & in Charitate ejuſdem Domini noſtri Jesu Chriſti qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

℣. Domine exaudi orationẽ meã,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum,

℟. Et

℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

DOmine Deus Omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur, dignare respicere, & bene†dicere, & sanctificare hanc creaturuam Olei, quod ex olivarũ succo eduxisti, ex eo infirmos inungi mandâsti, quatenꝰ sanitate percepta Tibi Deo vivo & vero gratias agerent: præsta quæsumꝰ, ut qui hoc Oleo, quod in Tuo Nomine benedicimus, usi fuerint, ab omni langvore, omnique infirmitate, atque cunctis insidiis inimici liberentur, & cunctæ adversitates separentur, à plasmate tuo, quod pretioso sangvine Filii Tui redemisti, ut nunquam lædatur à morsu serpentis iniqui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. BE-

BENEDICTIO ROSARIOrum vel CORONARUM.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.
℟. Qui fecit Cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui propter nimiam charitatem quâ dilexiſti nos, Filium Tuum unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtrum, pro redemptione noſtra de cælis in terram deſcendere, & Beatiſſimæ Virginis MARIÆ utero, Angelo nuntiante carnem ſuſcipere voluiſti, ut nos eripias de poteſtate diaboli: obſecramus immenſam Clementiam Tuam, ut hæc Roſaria (vel coronas, (in honorem & laudem ejuſdem Genitricis Filii Tui, ab Eccleſia Tua fideli dicata bene†dicas, &

ſancti-

ſanctifices, eiſque tantam infundas virtutem Spiritûs Sancti, ut quicunque ea ſecum honeſtè portaverit, atque in domo ſuâ reverenter tenuerit, & devotè uſus fuerit, ab omni hoſte viſibili & ſemper, & ubiquè in hoc ſæculo liberetur, & in exitu ſuo à Beatiſſima Virgine, Dei Genitrice, Tibi plenus bonis operibus, præſentari mereatur. Per Dominum noſtrum Jesum Christum, Amen.

Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris†, & Filii†, & Spiritûs † S. deſcendat ſuper hæc Roſaria, (vel Coronas) & maneat ſemper, Amen.

BENEDICTIO RETIS.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.
℟. Qui fecit Cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum,

℟.

℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

Quæſumus, Pater Omnipotens æterne Deus, ut mittere digneris benedictionem † Tuam Sanctam in iſtud Rete, quod benedicimus† in Sancto Tuo Nomine, & Filii Tui Domini noſtri Jesu Chriſti, & Spiritûs Sancti, quemadmodum benedicere dignatus és Sanctorum Apoſtolorum Tuorum Rete, cum dixiſti eis. Mittite in dexteram navigii Rete, & invenietis, impletumque eſt multitudine piſcium: ac hoc, non propter noſtra merita, ſed propter Tuam clementiam, & adjuvare digneris Tuâ gratiâ, ut de Tuis donis Tibi ſemper gratias agamus, qui es benedictus, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

BE-

RECONCILIATIO PALLAR CORPORALIUM.

Et Linteaminum Sacrorum, po eorum ablutionem.

Sacerdos ſuperpelliceo & ſto indutus, dicit:

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Dus, Innocentiæ reſtitutor, q per Moyſen famulum Tuu præcepiſti Sacerdotibus & Miniſtris, ut in ſanctuario veſt nitidæ aſſervarentur, & macu tæ mundarentur, ne quid inet quod Tuæ oculos offender Majeſtatis, Tibi has veſtes T benedictione conſecratas refe mus mundas & nitidas, ſupp citer deprecantes, ut eas in u miniſterii Tui priſtinum, pla dus ac benignus reaſſumere gne-

gneris, quatenus sacrificium Tibi acceptum, & nobis salutiferum super eis offerre valeamus. Per Jesum Christum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aquâ benedictâ, dicens:

Reconciliare, & ad usum pristinum sacri ministerii renovare: In Nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ Sancti, Amen.

BEDICTIO INFIRMI.

In ingressu cubiculi dicatur: Pax huic domui, &c. *Postea cubiculum & lectum aspergat aquâ benedictâ dicens Antiphonā.* Asperges me &c

Deinde Psalm: Miserere mei Deus &c. Gloria Patri, &c.

Repetat. Asperges me, &c.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit Cælum & terram.

℣. Domine exaudi orationē meā,

℟. Et

℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

EXaudi nos Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, & mittere digneris Sanctũ Angelum Tuum de Cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum, &c.

Secundum temporis opportunitatem dicat Sacerdos flexis genibus, vel Litanias Beatiss: vel Nominis JESU, vel Passionis Christi, vel omnes succ ssivè, quas vide in privatis lib: vel Psalm. Miserere, *vel* De profundis, *vel* Qui habitat in adjutorio altissimi &c.

Postea subjungat.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. *Pater noster, &c.*

℣. Sal-

℣. Salvum fac ſervum Tuum.
℟. Deus meus ſperantem in Te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicꝰ in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Eſto ei Demine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
. Dominus opem ferat illi,
. Super lectum doloris ejus.
. Domine exaudi orationẽ meã,
. Et clamor meus ad te veniat.
. Dominus vobiſcum,
. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

Xaudi, quæſumus, Domine ſupplicum preces & confitenium Tibi parce peccatis, ut paer nobis indulgentiam tribu benignus & pacem.

Ineffabilem nobis Domine miſe ricordiam Tuam clementer o ſtende, ut ſimul nos & à peccati omnibus exuas, & a pænis, qua pro his meremur, eripias.

Omnipotens ſempiterne Deu infirmitatem Famuli Tui propi tius reſpice, atque ad eum pro tegendum, dexteram Tuæ Ma jeſtatis extende.

Deus, infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii Tui ſuper infirmum famulum Tuu oſtende virtutem: ut ope miſeri cordiæ Tuæ adjutus, Eccleſiæ Tuæ Sanctæ incolumis repræ ſentari mereatur.

Concede hunc famulum Tuu quæſumus Domine Deus: pe petua mentis, & corporis ſanit te gaudere & glorioſâ Beat MARIÆ ſemper Virginis inte ceſſione, à præſenti liberari tr

ſtitia,

ftitia, & æternâ perfrui lætitiâ: Per Dominum noſtrum, Amen.

Dicatur Evangelium. In pri: ci. pio erat Verbũ,&c. *Deinde: imponat dexterã ſuper caput infirmi, & dicat.*

SUper ægros manus imponent, & bene habebunt, Jesus Filius MARIÆ, mundi ſalus & Dominus, meritis & intercellione Apoſtolorum PETRI & PAULI, atque Advocatorum Tuorum, & omnium Sanctorum ſit Tibi clemens & propitius. ℟. Amen.

Pollice dexterô ſignet ejus frontem. & dicat.

PEr Signum Sanctæ Crucis ✝ per donum Sancti Spiritûs, det tibi Deus ſanitatem mentis & corporis, Amen.

Deinde aſpergat aquâ benedictâ.

Benedictio ✝ Dei Omnipotentis, Patris ✝, & Filii ✝, & Spi-

ritûs ✝ Sancti, descendat super Te & maneat semper, Amen.

BENEDICTIO MEDICINÆ PRO INFIRMIS.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Domine exaudi orationē meā,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

QUæsumo, clementiam, Tuam o! æterne Deus, ut hanc medicinam ad expellendas omnes ægritudines, & virtutes diabolicas, infestationes maleficas, imò & ipsos dæmones à corporibus humanis, quam in nomine Sancto Tuo, & Divi Ubaldi, ac Sancti ANTONII de Padva bene✝dico & sanctifico, sic Tu Omnipotens & clementissime Deus be-

benedicere & ſanctificare digneris. In omni, qui eam biberit, extingve febrium infeſtationes, viſcerum tormenta cura, cordis, capitiſque dolores, & paſſiones cunctas diſſolve, gravitates peccatorum remove, infeſtationes cunctas à quibuſvis partibus corporis reſolve, phantasmatis adeſto periculis, tumoresquè compeſce, ſit hæc medicina expulſio præſentis morbi, & fuga Diaboli cum ſuis ſociis, facturis & armis. Exorcizo te creatura medicinæ in Nomine Jesu, ut virtutem naturalem retineas, ſupernaturalem recipias, adjurata in Nomine Chriſti. Benedic Domine hanc medicinam & virtus Spiritùs Sancti ſit ſuper eam ad evacuanda, deſtruenda, annihilanda, & eradicanda corpore humano maleficia cun-

 cta,

cta, cujuſcunque generis ſint & ſimul ad expellendum ipſum dæmonem. Prout ego N. Sacerdos Tuus, bene†dico, exor†cizo & ſancti†fico. Benedictiones cunctæ ſervorũ Dei ſint ſuper te, o Medicina, ut ſis potens ad effugandos dæmones cum ſuis facturis & armis diabolicis, tandē Benedictio Sancti Ubaldi Epiſcopi, & Sancti Antonii de Padua ſit ſuper Te in Nomine Patris †, & Filii †, & Spiritû † S. ℟. Amē.

Aſpergatur aquâ Benedictâ.

BENEDICTIO HORREI.

℣. Adjutorium noſtrum; &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

ADſit nobis quæſumus Domine virtus Spiritûs Sancti, quæ & cor-

& corda noſtra clementer expurget & ab omnibus tueatur adverſis. Per Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. *Pater noſter, &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac ſervos Tuos,

℟. Deus meus ſperantes in Te.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine exaudi orationẽ meã,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum,

℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ubique es præſens, Majeſtatem Tuam ſuppliciter

exoramus: ut huic horreo gratia Tua adesse dignetur, quæ cuncta adversa ab eo repellat, abundantiam bene†dictionis Tuæ super illud largiter effundat. Per Dñum nostrum. &c. ℟. Amen.

Aspergat dicendo:

BEnedictio Dei Omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiri†tûs Sancti, descendat super hoc horreum & super ea, quæ in illo reponentur, Amen.

BENEDICTIO Novi PUTEI.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Domine exaudi orationẽ meã,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

SUpplices deprecamur Domine clementiam pietatis Tuæ, ut a-

ıt aquam Putei hujus cælesti
)ene†dictione sanctifices, ad cō-
nunem vitæ usum concedas es-
'e salubrem, & ita ex ea fugare
ligneris omnem diabolicæ ten-
ationis incursum: ut quicunque
x ea hauserint, vel biberint, vel
n quibuscunque necessariis casi-
ous haustâ aquâ usi fuerint, toti-
ıs virtutis ac sanitatis dulcedi-
ıe perfruantur; ut Tibi sanctifi-
:atori, & Salvatori omnium Do-
nino, gratias agere mereantur.
Per Dominum nostrum JESUM
Christum Filium Tuum, qui te-
:um vivit & regnat in unitate
Spiritûs Sancti DEUS, per o-
nnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

OREMUS.

DOmine DEUS Omnipotens, qui in hujus Putei altitudi-
ıem, per crepidinem fistularum,

copiam aquarum manare jussisti: præsta, ut te jubente atque ben✠dicente, per nostræ ✠ officium functionis, repulsis hinc phantasmatibûs, calliditatibûs, atque insidiis diabolicis, purificatus atque emundatus semper hic Paternus perseveret. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Aspergat Aquâ Benedictâ.

BENEDICTIO ANIMALIUM
Tempore Pestis.

℣. Adjutorium nostrum, &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Misericordiam Tuam Domine supplices exoramus, ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, in Nomine Tuo atque Tuæ benedictionis virtute sanentur.

ur. Extingvatur in eis omnis diabolica poteſtas, nec ulterius ægrotent, Tu eis Domine ſis defenſio vitæ, & remedium ſanitatis Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Tuum, &c.

Aſpergatur, &c.

BENEDICTIO SCAPULARIS

Sit accenſa Candela.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini,

℟. Qui fecit Cælum & terram.

℣. Dominus vobiſcum,

℟. Et cum Spiritu Tuo.

O R E M U S.

SUpplicìter Te Domine oramus: ut ſuper hunc habitum ſervo Tuo imponendum bene✠dictio Tua benigna deſcendat, ut ſit benedictus, atque divina virtute procul pellantur hoſtium noſtrorum viſibilium & invi-

viſ-

visibilium tela nequissima, Amen.

OREMUS.

CAput omnium fidelium Deus & humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter Tuum, Tuæque Genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmelo amorem, atque devotionem, servus Tuus est delaturus, dexterâ Tua Sancti†fica, & hoc, quod per istum mysticè datur intelligi, Tuâ semper custodiâ corpore & animò servetur, & ad remunerationem perpetuam, cum Sanctis omnibus felicissimè perducatur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

OREMUS.

CReator, Conservator & Salvator omnium, largitor humanæ salutis DEUS, & dator gratiæ spiritualis, bene†dictionem Tuam super hunc habitum

immit

mmitte, ut qui eum geſtaverit, cœleſti virtute munitus, fidem integram, ſpem firmam, charitatem deſideratam teneat, & à Te nunquam ſeperari permittatur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

BENEDICTIO INFANTIS.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

DOmine JESU Chriſte, qui parvulos Tibi oblatos, & ad Te venientes amplexabaris, (*hic ponat manum ſuper caput infantis*) manuſquè ſuper illos imponens benedicebas, atquè dicebas: ſinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere illos, talium eſt enim regnum Cælorum, & An-

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei: Reſpice quæſumus ad infantium præſentium (*vel ſi unus tantùm*) infantis præſentis innocentiam, & ad ſuorum Parentum devotionem, & clementer eos per miniſterium meum bene✝dic, ut in Tua gratia, & Tua miſericordia ſemper proficiant, Te ſapiant, Te diligant, Te timeant, mandata Tua & Parentum cuſtodiant, & ad finem optatum feliciter perveniant. Per Te JESU Chriſte Salvator mundi. Qui vivis & regnas DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio DEI Pa✝tris Omnipotentis, & Filii✝, & Spiritûs✝ Sancti, deſcendat ſuper vos, & cuſtodiat, & dirigat vos, & maneat ſemper vobiſcum, A.

Aſpergatur Aqua Benedictâ.

DE-

BENEDICTIO ARBORIS KLOKOTKA.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit Cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

O R E M U S.

DOmine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, Te suppliciter deprecor, ut bene✠dicere digneris hoc genus arboris, quod in usum humani generis tribuisti, & præsta, ut quicumque penes se illud portaverit, sive in loco aliquo deposuerit, ab omnibus veneficiis, aruspiciis & ab omnibus tentationibus ac insidiis diaboli protegatur, & fiât obstaculum diabolo, contra perversas hominum persecutiones, contrâ sævarum bestiarum invasiones; conferat illi sanitatē mentis & corporis, & cuncta necessaria

ſaria in præſenti vita ei largir
digneris. Per Chriſtum Domin
noſtrum. ℞. Amen.

Aſpergat Aquâ Benedictâ.

Et Benedictio DEI Omnipoten
tis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiri†
tûs Sancti, deſcendat ſuper hanc
creaturam arboris, & maneat
ſemper. ℞. Amen.

CONJURATIO AD FUGANDAM TEMPESTATEM.

Hæc conjuratio ter devote dicatur.

In Nomine Patris†, & Filii†, & Spiritûs† Sancti, Amen.

Dicatur. *Pater noſter, &c.*

℣. Et ne nos inducas intẽtationẽ,
℞. Sed libera nos à malo.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus parce metuentibus, & propitiare ſupplicantibus Tibi, &

hos

hos pernoxios imbres, fulgura, & fulmina, atque tonitrua, & vim procellarum, atque commi-nationem tempestatis in materi-am Tuæ laudis transire facias, Amen. *Pater noster, &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentati-onem,

℟. Sed libera nos ab hac tem-pestate, & grandine, & ab omni malo.

Conjuro vos áéreas tempesta-tes per DEUM vivum † per DEUM verum † per DEUM Sanctum †, ut non jactetis gran-dines & tempestates, in posses-sionibus, & finibus nostris, & non dixeritis ante tribunal Christi, quod nemo vobis con-tradixerit. Ego enim præcipiò vobis in Nomine Pa†tris, & Fi-li†, & Spiritûs † Sancti, ut nō jactetis grandines & tempesta-

tes in possessionibus, & finibu
nostris, sed eas projicite in flu
vium, vel immergite mari sin
damno alicujus personæ. ℟. Am

Postea dicatur Psalm. Lauda Jerusalem Dominum, &c.

BENEDICTIO ARMORUM MILITARIUM.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.

OREMUS.

DEUS Omnipotens, in cuju manu victoria plena consisti quique, etiam Davidi ad expu gnandum rebellem Goliath v res mirabiles tribuisti: clemen tiam Tuam humili prece depo scimus, ut hæc arma, almific pietate bene✝dicere dign eri Et concede famulis Tuis eade gestare cupientibus, ut ad mu nimen ac defensionem Sanct Matris

Matris Ecclesiæ, pupillorum & viduarum, contra invisibilium & visibilium hostium impugnationem ipsis libere & victoriose utantur. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Et Benedictio DEI Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritûs † Sancti, descendat super induentes ac portantes ea, ut eadem ad tuendam justitiam utantur. Proinde rogamus te Domine Deus, ut illos protegas & defendas, atque omnibus inimicis tuis terribiles efficias. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Aspergat aqua Benedictâ.

BENEDICTIO ENSIS MILITARIS.

Adjutorium nostrum, &c.

 ORE.

OREMUS.

EXaudi, quæsumus, Domin preces nostras, & hunc ensei Majestatis Tuæ dexterá dign re bene✠dicere, quatenus fam lus Tuus, qui eo utetur, poss esse defensor Ecclesiarum, vidu rum, orphanorum, omniumqu DEO servientium contra sævi tiam Paganorum atque hæretic rum, aliisque sibi insidiantib sit terror & formido. Per Chi stum Dominum, &c.

OREMUS.

BEne✠dic Domine Sancte P ter, Omnipotens æterne D US, per invocationem Sanc Nominis Tui, & per adventu JESU Christi, Filii Tui Dom ni Nostri, & per donum San Spiritûs Paracleti, hunc ensei ut famulus Tuus, qui eo utetu visibiles inimicos conculcet,

ctoria-

oriaque per omnia potitꝰ semer maneat illæsus. Per Chrium Dominum &c.

OREMUS.

Bene†dicere digneris, quæsumus Domine, ensem istum & mulum Tuum, qui eum te inpirante suscipere desiderat, pietis Tuæ custodia munias & ilsum custodias. Per Dominum ostrum Jesum Christum Filium uum, &c.

Aspergat eum aquâ benedictâ & tradat militi genuflexo dicens:

Accipe ensem istum, in Nomine Pa†tris, & Fi†lii, & piritûs† Sancti: & utaris eo ad efensionem Tuam, ac Sanctæ Ei Ecclesiæ, & ad confusionem imicorum Crucis Christi ac fiei Christianæ. Et quantum huana fragilitas permiserit, cum neminem injuste lædas. Quod

Tibi præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat DEUS in sæcula. ℟. Amen

BENEDICTIO VEXILLI MILITARIS.

℣. Adjutorium nostrum. &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Domine exaudi orationẽ meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne DEUS, qui es cunctorum benedictio, & triumphantium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, & hoc Vexillum, quod bellico usui præparatum est, cælesti benedictione sanctifica, ut contra adversarias & rebelles nationes sit validum, tuoque munimine circum-

umptum, ſitque inimicis Chriſtiani populi terribile, atque in te confidentibus ſolidamentum, & certa fiducia victoriæ. Tu enim es DEUS, qui conteris bella, & cæleſtis præſidii ſperantibus in te præſtas auxilium. Per unicum Filium tuum Chriſtum Dominum noſtrum, qui tecum vivit, & regnat cum &c.

Aſpergat aquâ benedictâ.

Tradens Vexillum dicit.

ACcipe Vexillum Cæleſti benedictione ſanctificatum, ſitque inimicis populi Chriſtiani terribile; & det tibi DEUS gratiam, ut in ipſius nominis honorem, cum illo hoſtium cuneos potenter penetres incolumis, & ſecurus. *Deinde dat illi oſculum pacis dicens:* Pax tibi &c.

BE-

BENEDICTIO VESTICULA-
RUM, quibus in venerationem
Sancti Patris IGNATII Parvuli
induuntur.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini,
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Sit Nomen Domini Benedictum,
℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
℣. Domine exaudi orationẽ meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu Tuo.

O R E M U S.

DOmine JESU Christe, qui pro salute nostra humanam naturam suscipiens, te vestimento carnis induere dignatus es, benedictione Tua Sancta Benedic✝ indumenta ista, quæ pro gratiis Tibi exsolvendis, cum Sancto voto ac veneratione Sancti

ti Patris IGNATII parvulus
ſte N. N. ſuper ſe ſuſcepturus
ſt, infunde in eum quæſumus,
enedictionem Tuam, & cum
rimum induerit hanc veſtem,
eſcendat ſuper eum gratia Tua,
uæ illum protegat ab omni
nalo mentis & corporis, & de-
nceps Parentibus filius conſo-
ationis accreſcat ætate, Sapien-
â, & gratiâ coram Te & ho-
ninibus ad majorem Sanctifi-
ii Nominis Tui gloriam. Qui
ivis & regnas &c.

NB. Aſpergantur ter veſtimenta per crucem.

Benedictio DEI Omnipoten-
is Patris†, & Filii†, & Spiri-
tus† Sancti deſcendat ſuper ge-
antem indumentum iſtud, &
er interceſſionem Sancti IGNA-
ii maneat ſemper.

℟. Amen.

BENEDICTIO VASORUM.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini,
℟. Qui fecit Cælum & terram
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

PRoteſtor fidelium DEUS, & ſubditorum pectorum habitator, quæſumus, ut ſerenis oculis Tuæ pietatis hæc vaſa ita benedicere † digneris, ut ſuper hæc deſcendat gratiæ Tuæ larga benedictio †, ut utentibus per gratiam Tuam mereantur effici munda & ſalubria. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium Tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Aſpergat Aqua Benedictâ.

BENEDICTIO LOCI.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domine,

℟. Qui fecit Cælum & terram.

℣. Domine exaudi orationē meā,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

BEnedic † Domine DEUS Omnipotens Locum istum, ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansvetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio, DEO Patri†, & Filio†, & Spiritui† Sancto, & hæc benedictio maneat super hunc Locum, & super habitantes in eo, nunc, & semper.

℟. Amen.

Aspergat Aqua Benedictâ.

BENEDICTIO THALAMI.

℣. Ad-

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Domine exaudi orationē meā,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

ORE MUS.

BEne✝dic Domine Thalamum hunc, & omnes habitantes in eo, ut in Tua Pace conſiſtant, & in Tua voluntate permaneant: & ſeneſcant, multiplicentur in longitudine dierum, & ad Regna Cælorum perveniant. Per Dominum noſtrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO SEMINUM.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit Cælum & terram.

ORE MUS.

TE Domine petimus ac rogamus, ut grana Seminum frumenti

nenti, ſiliginis, hordei, avenæ,
c aliorum, cujuſcunqué generis
xiſtant, Tuis oculis ſerenis, hi-
arique vultu reſpicere digne-
is. Sicut autem per Moyſen
famulum Tuum populo Tuo
pollicitus es, dicens: Aperiet
Dominus theſaurum ſuum opti-
num, Cælum, ut tribuat Pluvi-
um terræ ſuæ in tempore ſuo,
benedicetqué cunctis operibus
manuum Tuarum: ita oramus
Domine, ut nobis miſericordi-
ter præſtes auxilium gratiæ Tu-
æ, & ſuper hæc Seminum grana
benedictionem † Tuam benignus
effundas, non ea volucres Cœli
ſurripiant, non turbo ſubvertat,
nec vis tempeſtatis grandinum-
qué excreſcentia detruncet, nec
aëris ſerenitas, aut inundatio
pluvialis exterminet, ſed inco-
lumia & ſuperabundantia pro-
pter

pter uſum hominum ad pleniſ-
ſimam maturitatem perducere
digneris: Per Christum Domi-
num noſtrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO HERBARUM
V. G. RUTÆ. &c.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit Cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

ORĒMUS.

Benedic Domine JESU Chri-
ſte hanc Rutam, vel N. & in
funde ei, per Tuam virtutem,
Tuam Sanctam Benedictionem
Cœleſtem, ut quicunque ex ea
ſubfumigatus fuerit, vel apud
ſe, eam habuerit, inimicus ei
nocere non poſſit: & in quibuſ-
cunque locis reſperſa fuerit, vel
poſita, ad ſalutem conducat. Re-
cedat, & contremiſcat diabolus,
& fu

& faciat, nec præſumat amplius illedere vel inquietare creaturas Tuas. Bene✠dicaris igitur Rana, vel N. in Nomine Domini noſtri JESU Chriſti, & Sanctæ TRINITATIS, ut ſis exterminatio diabolica, & omnium contubernalium ejus, ac [illegible] morborum, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

BENEDICTIO CONTRA
Aves, Vermes, Mures, vel alia, animalia, Fructus, Terram, Aquas, vaſtantia.

℣. Adjutorium noſtrum, in Nomine Domini
℟. Qui fecit Cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationē meā,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo. ORE-

OREMUS.

PReces nostras quæsumus Domine clementer exaudi, ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, & hanc avium, vermium, murium &c. persecutionem patimur, pro Tui Nominis gloria misericorditer liberemur, ut procul per Tuam potentiam expulsi, nulli noceant: & hos campos, agros, vineas, aquas, &c. in tranquillitate † quiete, dimittant; quatenus ex eis surgentia & orta, Tuæ Majestati deservi-ant, † nostræ necessitati subveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

OMnipotens Sempiterne DEUS, ominum bonorum Remunerator, & peccatorum Maximus Miserator, in cujus Nomine omnia genua flectuntur,

Cæ-

Cæleſtia, terreſtria, & inferna-
lia, Tuâ Potentiâ, nobis pecca-
toribus omnipotenter concede,
ut quod de Tua miſericordia
confiſi agimus, per Tuam grati-
am, efficacem conſequamur effe-
ctum, quatenus hos peſtiferos
vermes, &c. per nos ſervos Tu-
os maledicendo, maledicas, ſe-
gregando ſegreges, exterminan-
do extermines, ut per Tuam
Clementiam ab hac peſte libera-
ti, gratiarum actiorem Maje-
ſtati Tuæ liberè referamus. Per
Chriſtum Dominum noſtrum, A.

Sequitur Exorcizmus.

EXorcizo vos peſtiferos ver-
mes, mures, aves, &c. Per
DEUM † Patrem Omnipoten-
tem, & JESUM CHRISTUM
Filium ejus, & Spiritum San-
ctum ab utroque procedentem:
ut confeſtim recedatis ab his
cam-

campis, vineis, agris, &c. nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis, jussu Omnipotentis DEI, & totius curiæ Cælestis, & Ecclesiæ Sanctæ Dei, vos maledicentis, ut quocunque ieritis, sitis maledicti, deficientes de die in diem, & decrescentes, & quatenus reliquiæ de vobis nullo loco inveniantur, nisi necessariæ ad salutem, & usum humanum. Quod præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, Amen.

ITINERARIUM.

In Usum & commodum

ITINERANTIUM.

Antiph. In viam pacis.

Benedictus Dominus DEUS Israël quia visitavit, & fecit redem-

edemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis* n domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum * qui à sæculo sunt Prohetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris * t de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam um Patribus nostris * & memoari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit d Abraham Patrem nostrum * aturum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati * erviamus illi.

In sanctitate & justitia coram pso * omnibus diebus nostris.

Et tu puer Propheta Altissimi ocaberis * præibis enim ante aciem Domini, parare vias Eus.

Ad dandam ſcientiam ſaluti plebi ejus * in remiſſionem pec catorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ DE noſtri * in quibus viſitavit no oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tene bris, & in umbra mortis ſeden * ad dirigendos pedes noſtro in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

ANTIPHONA.

IN viam pacis, proſperitatis & ſalutis, dirigat nos Omnipo tens & miſericors Dominus: & Angelus Raphaël comitetur no biſcum in via, ut cum pace, ſa lute & gaudio, revertamur a propria.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon Kyrie eleyſon. *Pater noſter &c*

℣. Et ne nos inducas in tentati onem,

℟. Sed

Sed libera nos à malo.
Salvos fac ſervos Tuos,
DEUS meus ſperantes in Te.
Mitte eis Domine auxilium de ſancto.
Et de Sion tuere eos.
Eſto nobis Domine turris fortitudinis.
A facie inimici.
Nihil proficiat inimicus in nobis,
Et Filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
Benedictus Dominus hodie & quotidie.
Proſperum iter faciat nobis DEUS ſalutarium noſtrorum.
Vias Tuas Domine demonſtra nobis,
Et ſemitas Tuas edoce nos.
Utinam dirigantur viæ noſtræ,
Ad cuſtodiendas juſtificationes Tuas.

℣. Erunt prava in directa,
℟. Et aſpera in vias planas.
℣. Angelis ſuis DEUS mand
vit de Te,
℟. Ut cuſtodiant te in omnib
viis Tuis.
℣. Domine exaudi orationẽ me
℟. Et clamor meus ad te venia
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum Spiritu Tuo.

OREMUS.

DEUS qui filios Iſraël, p maris medium, ſiccô veſ giô ire feciſti, quique trib Magis iter ad Te, ſtellâ du pandiſti: tribue nobis quæſ mus iter proſperum, tempuſq tranquillum; ut Angelo T Sancto comite, ad eum, q pergimus locum, ac demum æternæ ſalutis portum perver re feliciter valeamus.

DEUS, qui Abraham pueru
Tu

uum, de Ur Chaldeorum edu-
um per omnes ſuæ peregrina-
onis vias illæſum cuſtodiſti,
ıæſumus, ut nos famulosTuos
ıſtodire digneris, eſto nobis
·mine in procinctu ſuffragiū,
via ſolatium, in æſtu umbra-
ılum, in pluvia & frigore te-
ımentum, in laſsitudine vehi-
ılum, in adverſitate præſidiū,
lubrico baculus, in naufragio
ortus: ut Te duce, quo tendi-
us, proſpere perveniamus, &
:mum incolumes ad propria
redeamus.

Deſto quæſumꝰ Domine ſup-
plicationibus noſtris, & vi-
n famulorum Tuorum in ſa-
tis Tuæ proſperitate diſpone:
inter omnes viæ & vitæ hu-
s varietates Tuô ſemper pro-
tegamur auxiliô.

)Ræſta quæſumus Omnipo-

 tens

tens DEUS. ut familia Tua pe
viam ſalutis incedat, & Beat
Joannis Præcurſoris hortament
ſectando, ad eum quem prædi
xit, ſecura perveniat. Dominum
noſtrum JESUM Chriſtum Fi
lium Tuum, qui tecum vivit &
regnat in ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

℣. Procedamus in pace,

℟. In Nomine Domini, Amen.

LITANIÆ

DE OMNIBUS SANCTIS.

Kyrie eleyſon, Chriſte eley
ſon, Kyrie eleyſon.

Chriſte audi nos, Chriſte exau
di nos.

Pater de Cælis DEUS, Miſere
re nobis.

Fili Redemptor mundi DEUS,
Miſerere nobis.

Spi-

Spiritus Sancte DEUS, Misere:
Sancta TRINITAS unus DEUS,
Miserere nobis.
Sancta MARIA,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum ordines, Orate pro no:
Sancte Joannes Baptista, Ora:
Sancte Joseph, Ora:
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Ora pro nobis.

Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Mathæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca.
Sancte Marce.
Ora pro nobis.

Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, Orate pro nobis.

Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancte Adalberte,
Sancte Stanislae,
Sancte Venceslae,
Sancte Floriane,
Ora pro nobis.

S. Jo-

. Joannes Nepomucene, Ora:
ancti Fabiane, & Sebastiane, Orate pro nobis.
ancti Joannes, & Paule, Orate:
ancti Cosma & Damiane, Orate pro nobis.
ancti Gervasi & Protasi, Orate pro nobis.
)mnes Sancti Martyres, Orate pro nobis.
ancte Sylvester, Ora pro nobis.
ancte Gregori, Ora pro nobis.
ancte Ambrosi,
ancte Augustine,
ancte Hieronyme,
ancte Martine,
ancte Nicolae,
ancte Casimire,
)mnes Sancti Pontifices & Confessores, Orate pro nobis.
)mnes Sancti Doctores, Orate:
ancte Antoni, Ora:
ancte Benedicte, Ora:

Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Sancte Hyacinthe,
Sancte Pater IGNATI,
Sancte Francisce Xaveri,
Sancte Francisce Borgia,
Sancte Francisce Regis,
Sancte Stanislae Kostka, Ora
Sancte Aloysi Gonzaga, Ora
Ora pro nobis.

Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, Orate pro nobis.
Sancta Anna, Ora pro nobis.
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Sancta Hedvigis,
Sancta Elisabeth,
Ora pro nobis.

Omnes

)mnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, Orate pro nobis.
)mnes Sancti & Sanctæ DEI, Intercedite pro nobis.
ropitius eſto, Parce nobis Dñe.
'ropitius eſto, Exaudi nos Dñe.
b omni malo, Libera nos Dñe.
b omni peccato, Libera nos:
b ira Tua, Libera nos Domine.
ſubitanea & improviſa morte, Libera nos Domine.
b inſidiis diaboli, Libera nos:
b ira & odio & omni mala voluntate,
ſpiritu fornicationis,
fulgure & tempeſtate,
peſte fame & bello,
morte perpetua,
er myſterium Sanctæ Incarnationis Tuæ,
er Adventum Tuum,
er Nativitatem Tuam,
er Baptiſmũ, & Sanctũ Jejunium Tuũ,
Libera nos Domine.

Per Crucem & Passione Tuam
Per mortē & Sepulturā Tuam,
Per Sanctam Resurrectionem Tuam,
Per admirabilem Ascensionem Tuam,
Per adventum Spiritûs Sancti Paracleti,
In die Judicii,

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogam9 audi nos
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pænitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam Tuam Sanctā regere & cōservare digneris,
Ut Dominum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in Sancta Religione conservare digneris.
Ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris.

Te rogamus audi nos.

UtRegibus & Principibus Christia-

tianis pacem & veram concordiam donare digneris, Te rogamus, audi nos.

Ut cuncto Populo Christiano pacem, & unitatem largiri digneris, Te rogamus audi nos.

Ut nosmetipsos in Tuo Sancto servitio confortare & conservare digneris, Te rogamus,

Ut mentes nostras ad Cælestia desideria erigas, Te rogamus.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos.

Ut animas nostras fratrum, propinquorum & benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias. Te rogamus:

Ut fructus terræ dare, & conservare digneris, Te rogamus,

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut

Ut nos exaudire digneris, Te ro
Filii DEI, Te rogamus audi nos
Agnus DEI, qui tollis peccat
mundi. Parce nobis Domine
Agnus DEI, qui tollis peccat
mundi. Exaudi nos Domine
Agnus DEI, qui tollis peccat
mundi, Miserere nobis.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon,
Kyrie eleyſon. *Pater noſter, &c*

℣. Et ne nos in ducas in ten tationem,

℟. Sed libera nos à malo.

Pſalmus 69.

DEUS in adjutorium meum intende * Domine ad adju vandum me feſtina.

Confundantur & revereantur omnes* qui quærunt animā meā.

Avertantur retrorſum, & eru beſcant * qui volunt mihi mala.

Aver-

Avertantur ſtatim erubeſcentes *qui dicunt mihi Euge, Euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt Te * & dicant ſemper: magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus, & pauper ſum DEUS meus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu * Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Salvos fac ſervos Tuos.

℟. DEUS meus ſperantes in te.

℣. Eſto nobis Domine turris Fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis.

℟. Ne

℞. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontificè nostro N.

℞. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat Eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℞. Retribuere dignare Domine omnibus, nobis bona facientibus propter Nomen Tuum vitam æternam, Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis,

℞. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace,

℞. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus,

℞.

℟. Salvos fac ſervos Tuos DEUS meus ſperantes in Te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto,

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationẽ meã,

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

ORATIO.

DEUS, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere: ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos & omnes famulos Tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio Tuæ pietatis clementer abſolvat.

EXaudi, quæſumus, Domine ſupplicum preces, & confitentium Tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis Domine miſericordiam Tuam clementer oſtende, ut ſimul nos & à peccatis

tis omnibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEUS, cujus Providentia in sui dispositione non fallitur, Te supplices exoramus; ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas.

DEUS qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi Tui supplicantis propitius respice, & flagella Tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

OMnipotens sempiterne DEUS miserere famulo Tuo Pontifici nostro N. & dirige eum secundùm Tuam Clementiam in viam salutis æternæ, ut Te donante Tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

QUæsumus, Omnipotens, DEUS, ut famulus Tuus N.

Rex

Rex noſter, qui Tua miſèratione ſuſcepit Regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monſtra devitare, & ad te, qui via, veritas, & via es, grotioſus valeat pervenire.

Alias orationes extraodinarias vide infra.

DEUS, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, da ſervis Tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandatis Tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine tempora ſint Tua protectione tranquilla.

URe igne Sancti Spiritûs renes noſtros & cor noſtrũ Domine, ut Tibi caſto corpore ſervimꝰ: & mundo corde placeamꝰ.

Fidelium DEUS omnium Con-

ditor

ditor & Redemptor animabꝰ famulorum, famularumque Tuarum, remissionē cunctorum, tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequātur.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cūcta nostra oratio & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui vivorum dominaris, simul & mortuorum, omniumque misereris, quos Tuos fide, & opere futuros esse prænoscis, Te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel fututum jam exutos corpore suscepit,

ſcepit, intercedentibus omnibus Sanctis Tuis pietatis Tuæ clementia omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationẽ meã,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Exaudiat nos Omnipotens & miſericors Dominus. ℟. Amen.
℣. Et fidelium animæ per miſericordiam DEI, requieſcant in pace. ℟. Amen.

AVe maris ſtella
DEI Mater alma,
Atque ſemper Virgo
Felix Cœli porta.
Sumens illud ave
Gabrielis ore,

Fun-

Funda nos in pacè,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe Matrem,
Sumat per Te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe Tuus.
Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos
Mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes JESUM,
Semper collætemur.
Sit laus DEO Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus, Amen.

SUb Tuũ præſidiũ, confugimus
Sancta DEI Genitrix, nos

tras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis, libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus CHRISTI.

O R E M U S.

Defende quæsumus Domine Beata MARIA semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & toto corde Tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Beati Archangeli Tui MICHAELIS intercessione suffulti, supplices te Domine deprecamur, ut ejus potenti patrocinio ab omnibus semper protegamur, adversis.

Sanctissimæ Genitricis Tuæ

 Spon-

Sponſi quæſum9 Domine, meritis adjuvemur, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur.

DEUS, qui glorificantes Te, glorificas, & in Sanctorum Tuorum honorib9 honoraris, concede propitius, ut qui Beatorum Tuorum IGNATII & FRANCISCI glorioſa merita colim9, eorum pia patrocinia ſentiam9. Per Chriſtum Dominum noſtrũ.

℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen.

Orationes extraordinariæ,

Tempore famis & peſtis.

DA nobis, quæſumus Domine, piæ ſupplicationis effectum, & peſtilentiam, famemque propitiatus averte: ut mortalium corda cognoſcant, & te indignante talia flagella prodire, & te miſe-

miſerante ceſſare. Per Dominū noſtrum JESUM Chriſtum, Filium Tuum, &c. Amen.

Tempore Belli.

OMnipotens ſempiterne DEUS, in cujus manu ſunt omniū poteſtates: omnium jura regnorum, reſpice in auxilium Chriſtianorum, ut gentes paganorum & Hæreticorum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ Tuæ potentiâ conterantur.

Pro ſerenitate vel pluvia impetranda.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibꝰ (*Pluviam nobis tribue congruentem*) ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia Tua præveniente clementiā ſentramus. Per Dominum noſtrū, &c. ℟. Amē.

Pro quacunquè neceſſitate.

DEUS refugium noſtrum & virtus, adeſto piis Eccleſiæ Tuæ precibus, Auctor ipſe pietatis, & præſta, ut quòd fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Dominum noſtrum JESUM, &c. ℟. Amen.

In omni afflictione.

NE deſpicias Omnipotens DEUS populũ Tuum in afflictione clamantem, ſed propter gloriam Nominis Tui tribulatis ſuccurre placatus. Per Dominum noſtrum &c. Amen.

ORATIO.

Pro Defunctis.

DEUS veniæ largitor & humanæ ſalutis amator: quæſumus clementiã Tuam, ut noſtræ congregationis fratres, propinquos, & Benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente cũ omni-

omnibꝰ Sanctis Tuis, ad perpetuæ beatitudinis cõsortium pervenire concedas. Per Dominum nostrum JESUM Christũ, &c. A.

ORATIO.

Pro Peste animalium.

DEUS, qui laboribus hominum, etiam de mutis animalibus solatia subrogásti, supplices Te rogamus: ut sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias usibus non perire. Per Dominum nostrum JESUM Christum, &c. Amen.

ORATIO.

Pro Itinerantibus.

ADesto, quæsumus, Domine supplicationibus nostris: & viam famulorum Tuorum in salutis Tuæ prosperitate dispone: ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietates Tuô semper protegantur auxiliô. Per Domi-

num noſtrum, &c. Amen.

DISPOSITIO AD SACRAMENTUM PÆNITENTIÆ.
ACTUS.
Confuſionis, & erubeſcentiæ.

DEUS infinitæ Majeſtatis confundor & erubeſco ante te, quod tanta fæditate peccatorum animam meam, Sangvine Filii DEI emundatam contaminaverim. Quod contra te Principem Supremum, ego rebellis ſervus, contra te Patrem, ego ingratiſſimus filius, contra te DEUM meum, ego viliſſimus terræ vermiculus inſurrexerim. Quod denique me, tam exoſum oculis tuis, ac B. Virginis, totiuſq; Curiæ Cæleſtis reddiderim. Ah! quàm inops ſum, quam nudus, gratiâ tuâ ſpoliatus, quam dignus ſum ab omnibus creaturis con-

contemni, & odio haberi, propter peccata mea.

ACTUS

Admirationis Divinæ longanimitatis.

ET quomodo o Judex justissime, omnem contra me non armasti creaturam? Quomodo me vivum terra non absorbuit? Cur in me fulmina de Cœlo non ruerunt? Tua hoc clementia effecit, o Pater misericordiarum? qui me tunc etiam, cùm te peccato oppugnabam, ad ubera gestabas, qui me ad hanc insuper pænitentiam, non solùm expectasti, sed etiam vocasti, & nunc amplexum & oscula paras filio prodigo.

ACTUS

Deprecationis.

FRetus ergo misericordiâ tuâ, quâ peccatores recipis, venio ad te,

ad te, è regione longinqua: dissimilitudinis prodigus filius, procido coram te cum servo debitore, provolvor ad pedes tuos cum Magdalena, & affectu omnium pænitentium: qui tibi aliquando placuerunt, misericordiam supplex imploro. Peccavi Domine, miserere mei, patientiam habe in me: propitius esto mihi peccatori

ACTUS
Retractationis & doloris.

DAmno Domine, revoco, & detestor omnia peccata mea, ideo, quia tibi displicent, simulque super omnia doleo ex motivis omnium virtutum. Doleo ex motivo charitatis, quia tibi summo omni amore dignissimo, materiam displicentiæ præbui. Doleo ex motivo spei, quia me à te o Beatitudo mea averti, & finem

nem ultimum in creatura conitui. Doleo ex motivo Religionis, quia tibi excellentissimæ Majestati Cultum debitum peccando subtraxi. Doleo ex motivo obedientiæ, quia tibi supremo Legislatori inobedientem me præbui: Doleo ex motivo Gratitudinis, quia tibi maximo Benefactori, pro tot beneficiis, tot offensas ingratus exhibui. Doleo ex motivo Justitiæ, quia Juri tuo supremo, quod habes in me contraveni. O! utinam exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt legē tuam. O! utinam nunc omnium pænitentium lacrymas, contritiones, & amaritudines habeam, quibus defleam peccata mea.

Propositum.

Ah! quando tandem finis turpitudinis meæ, dixi nunc coepi,

statuo

ſtatuo firmiter Domine cum auxilio gratiæ tuæ omnia peccata præſertim N. omneſq; peccatorum occaſiones diligenter vitare. Proteſtor coram te, & curia tua Cœleſti univerſa, quod mallim mori, & omnia adverſa pati, quam te peccato mortali offendere. Demergo igitur animam meam in ſanguinem tuum pretioſiſſimum, tempore paſſionis in ablutionem peccatorum effuſum, & per eandem paſſionem, ac mortem tuam te rogo, ut deleas iniquitatem meam. Amplius lava me, ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Jam acceſſurus ad Confeſſionem dic:

SCrutator cordium DEUS, miſerere nunc peccatricis animæ meæ, ejuſque clementer & vin-

vincula ſolve, & vulnera ſana. Da cordi meo contritionem, & lacrymarum fontem oculis meis, ut cum humilitate, & puritate cordis, omnes iniquitates & negligentias meas digne defleam, & integre aperiam, ſicque ſacratiſſimæ Paſſionis Chriſti, revivificet anima mea in vitam æternam, Amen.

ACTUS

Poſt Confeſſionem.

BEnigniſſime JESU revertor ad te, cum leproſo mūdato. & cadens in faciem meam ante pedes tuos, gratias ago, quia me à lepra peccatorum ſangvine tuo emundaſti. Benedicta ſit in æternum bonitas tua, quæ me reſpexit longe errantem, & non projecit a facie ſua me canē fœtidum, ſed omnia peccata mea poſt tergum ſuum projecit. Quis

ſum

ſum ego Domine, quia dignatus es, me rebellem tibi, me tuum contemptorem, me viliſſimum terræ vermiculum, me fugitivum tam benigne trahere ad te, tam miſericorditer oſculô pacis donare. Tua hoc bonitas facit o Pater miſericordiarum, qui me prodigum Filium, ad te reducem ſuſcepiſti, ſtolâ gloriæ induiſti Paterno amplexu dignatus es. Miſericordias igitur tuas in æternum cantabo, & benedicam Te in omni tempore, qui propitiaris omnibus iniquitatibus meis, qui ſanas omnes infirmitates meas, qui redimis de interitu vitam meam, qui coronas me in miſericordia, & miſerationibus tuis. Quis verò jam amplius me ſeparabit à te o! bone JESU; an tribulatio? an volupta? an mors? Nihil horum cum gratia

tua

ua mi DEUS. Statuo firmiter uſtodire judicia juſtitæ tuæ. Malo mori quàm fædari, quia mihi bonum eſt adhærere tibi, uia tu omni amore dignus es. Confirma Domine hoc propoſitũ, uód in me operatus es. Adjuva me o! JESU; virtus mea, firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus. Adesto mihi Divina Mater, peccatorum refugium, adeſte Beati Cælites, Patroni mei. Quia veró adhuc tibi Domine, ita debitor um, ut non habeam unde de eo ſatisfaciam, idcirco quiduid mihi deeſt, ſuppleo ex meritis tuis infinitis, quæ tibi una um meritis Pretioſiſſimæ Matris tuæ, & omnium tuorum Electorum, offero, in ſatisfactionẽ œnæ debitæ pro peccatis meis. ffero ſimul etiam cum illis me-

am hanc exilem satisfactione Sacramentalem, quam nunc more tui facio, ipse vindex scelerum meorum: tu eam suscipe, & salva me.

Hic absolve pænitentiam, ne pr... tractu ad statum peccati mortal... parum tibi aut nihil prosit, po... quam adjunge sequentem Orationem.

ORATIO

Pro peccatorum remissione.

O JESU mi dulcissime, eg... sum ille miser, & infeli... peccator, qui tibi tot vulne... ra infixi, teque rursus peccat... meis, heu! nimis multis, & m... gnis crucifixi. Ecce ante te Ju... dicem, Fratrem tamen meum... sto: tot criminum reus, tot pec... catis obnoxius; obsecrans te pe... viscera misericordiæ tuæ, ap... riantur denuo vulnera tua ... in conspectu Patris tui, & ...

in ...

n miseram, immundam, & criminibus multis deturpatam animam meam, neque obstruantur, priusquam me abluerint, & perfecte mundaverint.

OREMUS.

DEUS qui diligentibus te, facis cuncta prodesse, da cordibus nostris inviolabilem tuæ charitatis affectum, ut desideria de tua miseratione concepta, nulla possint tentatione mutari. Per Christum, &c.

DISPOSITIO.

Ad SACRAMENTUM Altaris.

AUres tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris: & gratiâ Sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

DEUS

DEUS, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quē nullum latet secretum: purifica per infusionem Sancti Spiritûs cogitationes cordis nostri, ut te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus, renes nostros, & cor nostrum Domine: ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus Sancti: quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

DEUS, qui corda fidelium Sā-

i Spiritus illuſtratione docui-
i: da nobis in eodem Spiritu
ecta ſapere, & ejus ſemper con-
latione gaudere.

Conſcientias noſtras quæſu-
us Domine, viſitando purifica:
: veniens Dominus noſter JE-
US Chriſtus Filius tuus, para-
m ſibi in nobis inveniat manſi-
nem. Qui tecum vivit & re-
nat, in unitate Spiritus Sancti
eus, per omnia ſæcula ſæculo-
m, Amen.

INTENTIO.

Brevis celebrandi.

uam recitantibus Gregorius XIII Max. *conceſſit Indulgentiam* 50 *Annorum.*

Go volo celebrare Miſſam, &
conficere corpus & ſangvinē
omini noſtri JESU Chriſti, ju-
a ritū S. Romanæ Eccleſiæ, ad
udem Omnipotentis DEI, to-

tiuſque Curiæ triumphantis, utilitatem meam, totiuſque C riæ militantis, pro omnibus, q ſe comendârunt orationibus m is, in genere & in ſpecie, & p felici ſtatu Sanctæ Romanæ E clesiæ, Amen.

Gaudium cum pace, emend tionem vitæ, ſpatium veræ p nitentiæ, gratiam, & conſolat onem Sancti Spiritûs, perſev rantiam in bonis operibus, c contritum & humiliatum, at felicem vitæ meæ conſummat nem, tribuat mihi omnipote & miſericors Dominus, Amen

FORMA INTENTIONIS

Pro Miſſa Celebranda, cum var actibus.

DOleo mitiſſime DEUS, & t to corde pænitens deteſt omnia peccata mea, quia te u cum

um amorem, & optimum amo-
rem, bonum, offendi: & propono
ne potius millies ſubire mortẽ,
quam vel in minimo impoſterũ
antiquum ſubire errorem. Tuâ
Ergo fretus miſericordiâ meo-
rum criminum remiſſionem ſpe-
ro, & credo te DEUM vivum
Salvatorem meum, & toto corde
amo Te, & adoro. Tota pariter
pietate confiſus ad Miſſæ Sacri-
ficium accedere cupio; intendo
enim celebrare, & conſecrare
panem in Corpus tuum, & vi-
num in Sangvinem tuum, cô
modô, quò Tu inſtituiſti, ea ma-
jori intentione, & perfectione,
qua utitur Sācta Mater Eccleſia,
quam habent, habuerunt, & ha-
bituri ſunt omnes DEI Sacerdo-
tes. Suſcipe Sancte Pater hoc
Sacrificium, & cum illo me to-
tum ad laudem & gloriam tuã,

in Passionis, ac Mortis Filii tu
cruentæ memoriam, in grati
rum pro beneficiis, in me coll
tis actionem, & in peccatoru
meorum remissionem.

O Domine DEUS meus, unu in Sanctissima Trinitate, Pa ter, Fili, & Spiritus Sancte, co ram tua Divina Majestate dole pro peccatis meis, omnibus, & singulis, & doleo quia tu vis, & dignus es ut doleam, & quia d splicent, repugnantque bonita tuæ, quam amare super omnia æstimareq; semper deinceps vo lo. Sicut etiam volo pro iisd peccatis meis satisfacere, juxt mentem, & gratiam tuam, ab il lisq; semper diligenter cavere Quem contritionis, atque amo ris tui actum, offero Majestat tuæ, ad beneplacitum tuum, a fructum animæ meæ, ad dispo nen-

